



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.

TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE,
DE
SYPHILIDE,
QUOD,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GULIELMI ROBERTSON, S.T.P.
ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICAE decreto;
PRO GRADU DOCTORIS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
THOMAS JOHNSON,
HIBERNUS,

*Labes, quæ sævior usquam
Nulla fuit, nullis unquam aliis spectabitur annis.*

FRACASTORIUS.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT ADAMUS NEILL CUM SOCIIS.

M DCC XCI.



VIRO ILLUSTRISSIMO

JACOBO GREGORY, M. D.

IN ACADEMIA EDINBURGENA

MED. PRACT. PROFESSORI,

SOCIET. REG. EDIN. SOC.

&c. &c. &c.

HOCCE OPUSCULUM, QUAECUNQUE SIT,

EO, QUO PAR EST, OBSEQUIO,

D. D. C. Q.

THOMAS JOHNSON.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS 433

LECTURE 1

1982-83

1982

TENTAMEN MEDICUM

I N A U G U R A L E,

D E

S Y P H I L I D E.

P R O O E M I U M.

LEGIBUS almæ Academiæ obsequens, ut ad summos in Medicina honores attingam, dissertationem, de Syphilide paucis exequi decrevi. Pensum attamen aggredior, nonnisi summa diffidentia ; quia, morbus est, de cuius natura et origine, disputârunt multipere Medici, tam antiqui, quam hodierni.

A

Coitus

2 DE SYPHILIDE.

Coitus impuri effectus, locales sunt, vel generales; locales dicti, si genitalia solummodo patiantur; generales vero, dum virus venereum, systemati universo communicetur. Stadio priori misso, de posteriori, utpote periculofiori, hic agendum erit.

Hic morbus, si scriptis Medicorum fere omnium fides habenda sit, ab Hispaniola cum COLUMBO advectus fuit; nec in Europa ante annum 1493 innotuit. Nonnulli tamen, de Lue venerea, ejusque origine tractantes, probare conantur, eam in Europa apparuisse, antequam COLUMBUS a prima redierat expeditione. Utra opinio tenenda sit, forsan dubitandum. Hasce autem inire lites, nec finit tempus, nec suggerit animus; et profecto, talia commenta Medico nil prodesse possunt.

Medici nonnulli, morbum venereum ex eo, quo, in Europam primo advectus fuit, minus gravem evasisse putarunt. Haud dubitavit

ASTRUC,

ASTRUC, eum, temporis lapsu, ex toto desitutum. Dicit egregius SYDENHAM, quod hic morbus, frugum instar, a solo natali translatarum, haud more pristino vigeret, sed gradatim decresceret, nulla sui vestigia relicturus. Spe tamen inani se lactare videntur, qui huic opinioni dant fidem. Nam viget adhuc morbus, semperque vigebit, dum homines vario fruuntur concubitu. Non desunt enim exempla in nostris hisce temporibus, quæ probant, Syphilidis symptomata æque gravia esse, ac illa, quorum historia ab Autoribus nobis traditur. Nostro seculo, lethalis rarius evadit hic morbus, non tantum, ut videtur, ob gravitatem Luis sua sponte minutam, quantum, ob peritiam majorem, humanitatem necnon addas, eorum, qui nunc arte florent Apollinea.

4 D E S Y P H I L I D E,

D E F I N I T I O.

“ Morbus contagiosus *plerumque* * post con-
“ cubitum impurum, et genitalium morbum,
“ ulcera tonsillarum; cutis, præsertim ad mar-
“ ginem capillitii, papulæ corymbosæ, in
“ crustas, et in ulcera crustosa abeuntes; do-
“ lores ostocopi, exostoses.”

Vid. CULLEN Synop. G. LXXXV.

H I S T O R I A.

Priusquam massam ingreditur virus vene-
reum, accidit plerumque, quod glandulæ con-
globatæ, per quas transeunt lymphatica a
parte primo affecta, tumidæ fiunt, formantur-
que bubones. Hos ad repellendos si solita
haud valuerint remedia, in suppurationem
abeant

* In definitione verbum ‘plerumque’ adjunxi, ex
eo, quod morbus absque coitu propagari potest.

abeant necesse est. Viro habitum tunc inficiente, varia inducuntur symptomata; et primo quidem, absque inflammatione insigni prægressa, oriuntur ulcera tonsillarum foeda, cum albo et calloso margine; quæ, gradatim ad fauces, palatum, membranam Schneiderianam, et linguam excurrunt. Tumida fit lingua; ossa nasi carie tentantur; difficilis fit deglutitio; et nasus ipse corrui. Gingivæ, indolem comparant spongiosam; margo earum inflammatur, adestque in illis, ad hæmorrhagiam proclivitas. Supervenit nunc pustularum eruptio, circa frontem et pilorum radices, cui, nomen *corona Veneris* affixum. Cutis deturpatur maculis, in initio nonnihil pellucidis; decidente autem cuticula, fit crusta subflavescentis; denuo discessura, iterumque renovanda; donec deficiente tandem cuticula, unde, reparantur crustæ, formatur pus; et ulcera, in latitudine lente serpentina, producuntur. Observandum erit, quod hæ maculæ parvam habent inflammationem,

6 DE SYPHILIDE.

tionem, nisi, in illis corporis partibus, quæ vestibus maxime teguntur, et simul attritioni obnoxia sunt; præsertim circa anum, ubi crustarum loco, in superficiem mollem elevatur cutis, materiam effundens albicantem. In hoc stadio, decidunt nonnunquam ungues, defluuntque crines. Progrediente morbo, oriuntur in ossibus dolores lancinantes, in media parte, præcipue, illorum, quæ duriora sunt, quæque, parcius velamine teguntur musculari; uti Tibia, Ulna, ossa Cranii. Dolores hi, tempore nocturno, dum in lecto corpus incaluerit, augentur; appropinquante Aurorâ, desinunt, vel saltem mitescunt. Supervenit tandem, partis affectæ tumor, hic vero, pro sede quam tenet, varia nomina habet. A tendinibus, nervis, ligamentis, oriuntur Nodi, Ganglia, Tophi; ab ossibus elevantur Exostoses, quæ annos usque permanent, antequam in suppurationem abeunt: Materia hic formata, potius mucosa est, quam purulenta. Ossa carie tentantur, in ea parte, ex qua stillat materia;

materia; intumescentiæ loco, nonnunquam, perraro quamvis, ossa evadunt spongiosa; aliquando, præter naturam, mollia deveniunt, atque fragilia. Palpebræ inflammantur, ulcerantur; accedit ophthalmia, scrofulosam valde referens: Prægresso per aliquot tempus aurium tinnitu, supervenit in iis, dolor acerrimus, quem surditas sequitur, et suppuratio; harum quoque ossa, carie afficiuntur, et eroduntur. Ingravescunt nunc symptomata omnia; functiones animales, vitales, naturales necnon, labem patiuntur; appetitus nullus; digestio prostrata; summaque adest debilitas: Effæcto tandem corpore, pallet facies; adori-tur febris, natura, hæcticam referens; demum-que, post summos cruciatus, lenta et miser-rima morte, perit æger.

His jam præmissis, haud incongruum vide-tur, perpauca proferre de *Indole Viri venerei*, necnon de *Morbi propagatione*; et,

8 DE SYPHILIDE.

imo, De Indole, &c. Viri venerei natura, pro certo haud cognita est; puris formam plerumque habet, quod, morbum ei similem, a quo duxerat originem, inducere valet. Quando urethrae applicatur virus, ut in gonorrhoea accidit, procul dubio stimulat; et si aliis admotum fuerit partibus, quin similiter agat, nil ob stare videtur.

An virus gonorrhoeam, ulcuscula venerea, Gallice *chancre*s, et Luem ipsam producat, ejusdem sit indolis, necne, acriter disputatum fuit. Quicumque perpendet varias medendi rationes, variaque symptomata, quae in utroque morbo locum habent, naturam ejus omnino diversam esse concludet; si autem experimenta, omni ratiocinio fortiora, sint admittenda, hanc opinionem haud veram esse, vix negaverit aliquis. Docent experimenta, gonorrhoeae materiam, ulcusculum venereum, et Luem ipsam, inducere; pari modo, ulcusculi venerei materia, ulcusculum sibi simile, gonorrhoeam, vel

vel et Syphilidem ipsum producere valet. Ex his ergo concludere licet, idem virus venereum, urethræ superficiei internæ applicatum, gonorrhœamque concitans, si glandi penis præputiove admotum fuerit, ulcuscula venerea inducere; et, si ope lymphaticorum, in massam assumptum fuerit, Luem veneream confirmatam, seu Syphilidem fieri.

Veneri quantitas admodum exigua, morbum sine dubio, inducere potest. Effectus tamen suos, haud certo edit tempore; quod a vario corporis humani habitu, vel variis quibus applicatur partibus, pendere videtur. Paucis a coitu impuro horis, in conspectum veniunt aliquando ulcuscula venerea; aliter, non apparent antequam totidem dies lapsi fuerint. Gonorrhœæ symptomata, primo die vel altero, a venere impura percipi possunt; interdum vero, non ante dies decem, vel etiam viginti aut amplius apparent. Syphilidis symptomata, brevi, a congressu fædo, sese

B nonnunquam

nonnunquam ostendunt ; e contra, venenum, in corpore per annos etiam latuisse, afferunt Autores. Haud abs re foret, hic, perpauca dicere, de ulceribus quæ, in diversis corporis partibus a Lue venerea oriuntur. Postquam in massam assumptum fuerit virus, oriuntur aliquando, per totum corpus, ulcera, *secundaria* dicta. Putaverunt omnes fere Medici, hæc ejusdem esse indolis, ac ulcuscula ipsa ; sin, experimentis ingeniosissimi HUNTER fides sit habenda, rem aliter se habere videtur. Observavit enim ille, quod materia ulceris *secundarii*, sanæ corporis parti applicata, ulcusculum, ut materia ulcusculi venerei, corpori modo pari admota, haud inducit. Attentè autem perlegenti, statim apparebit, experimenta viri ingeniosissimi, talia minime esse, quin iis objici possit. Numero enim pauca sunt ; præterea, qui experimentis subjecti fuerunt hisce, tum maxime, Mercurio utebantur ; ideoque probabile est, actionem veneream, Hydrargyro magna ex parte debellatam fuisse :

fuisse: Hinc igitur, nil pro certo statuendum est; et an hæc, ab ulcusculis primariis indole discrepent, necne, sola, posthac experientia probandum restat.

2do, De Morbi propagatione. De hac, plurima tam incredibilia, adeo et ridicula olim enarrata fuerunt, ut quæ hic memorentur, omnino indigna sunt. Ut excitetur morbus, virus ipsum venereum certis corporis partibus, directe applicari necesse est; iis nempe partibus, quibus, levis est cuticula, quod fit in labiis, oculis, glande, præputiove penis; vel ubi erasa fuerit cuticula, ut in vulneribus accidit.

Negant nonnulli, a parentibus prolem morbo infici posse: Huic autem opinioni, plane repugnant observationes eorum, qui, in arte obstetricia maxime versati sunt; ex quibus constat, fœtus in lucem sine cuticula editos fuisse, ulceribusque, aperte venereis, obduc-

tos.

tos *. A matre, fœtum in utero infici posse omnino probabile videtur. Virus enim venereum, in massam assumptum, circulationis ope, ad extremas corporis partes etiam, propelli, pro certo scimus. Quid inde obstat, cur minus, a parente, ad fœtum in utero deferatur virus, qui, mediante *placenta*, communi inter sese gaudent circuitu? Labem Embryoni, a Mare inter coëundum communicari posse, ni fallor, probabilius redditur, ex eo, quod, semen masculinum, dum per urethram, morbide affectam transeat, vitio, forsitan, aliqua ex parte imbutum, ad ovarium sic deferatur.

D I A G N O S I S .

Hoc in morbo, summa cum difficultate indagatur diagnosi; tam ob similitudinem, quæ inter Syphilidis, et aliorum morborum symptomata extat, quam, ob dissimulationem
ægri

* Talia in prælectionibus suis memorat, cel. HAMILTON, Art. Obstetr. Prof.

ægri ipsius : Ideoque, Luis symptomata summa Medici merentur attentione ; et quo hæc inter, et ea, quæ in aliis morbis occurrunt signa rite distinguatur, maxima adhibenda est cura. Ut phænomena varia quæ Syphili- dem concomitantur, hic iterum enumerarem, nullatenus necesse videtur ; ea igitur, quæ tantum symptomata, in aliis morbis supervenientia referunt, ut cum iis confundi queant, recenseam, sufficiat.

Ulceræ venerea tonsillarum faucium, &c.
 Hæc, ab ulceribus quæ in aliis morbis occurrunt, facile dignosci possunt. Ulceræ enim venerea, profunda sunt ; in parte infima, materia sebacea, subflava obducuntur ; et margines habent callosas.

Dolores venerei nocturni. Hi, a rheumaticis, sic distinguantur. Rheumatismo urgente, articuli plerumque majores, dolent, tument, rubent ; et dolor, qui sentitur, musculorum tractum

14 DE SYPHILIDE.

tractum sequitur. Dolores syphilitici autem, ossa duriora, media fere parte, semper tentant; Tibia puta, et ossa Cranii. Dolores arthriticos inter, et syphiliticos perfacile discrimina- tur; priores enim, per intervalla subeunt, iis frequenter antecedit affectio ventriculi infolita quædam; dolor, articulos pollicis pedis præcipue infestat; licetque addere, dolores hos, nempe arthriticos, vel cum ventriculi, vel aliarum partium internarum affectionibus alternare.

Hyperostosis venerea. A rachitica dignoscitur, ex eo, quod Rachitis, infantes plerumque, et ossa simul omnia, invadit: A scrofulosa, et arthritica, symptomatibus, quæ his morbis præcedere solent distinguitur.

Fractura spontanea. Si nullum fit indicium, quo, Scrofulam, aut Scorbutum in causa esse judicare possumus, pro symptomate Luis inveteratæ, rite habenda est hæc.

Caries.

Caries. Variis ex fontibus oriri potest: Si quando ab ulcere, medium Cranium, Tibiamve occupante producitur, ad Luem referri potest.

Haud abs re foret, hoc in loco, perpauca de morbo recensere, a Scotis *fibbens* dicto, quemque, ejusdem esse indolis ac Lues ipsa, volunt nonnulli. Syphilidem autem, ab hoc morbo multum distare, a sequentibus, ni fallor, apprime colligi potest.

1mo, Hic morbus, nempe *fibbens*, primo ingressu, maxime cutaneus est, nec nisi neglecta, profunda evadunt ulcera.

2do, Hic, multo magis Lue contagiosus est; quod, a morbi propagatione evidenter apparet. Discimus enim, quod ex poculo communi bibendo, vel in eodem lecto cum ægro, vel in iisdem stragulis accumbendo, communicatur morbus. Inter plebicum, in parte illa occidentali Scotiæ, lingua vernacula

la

la *Ayr-sbire* dicta, ubi præcipue graffatur morbus, Tabaci fumum, ex communi tubulo hauriendi mos est; hoc modo, frequentissime diffeminatur contagio. Syphilidem, nostris hisce temporibus saltem, modis similibus haud propagari, nemo negaverit.

3tio, Ab ulceribus venereis, differunt ea, quæ in *sibbens* subeunt; hæc maxime dolent, et colore sunt florido; ichorem effundunt tenuem, nec, nisi neglectus fuerit morbus, profunda fiunt. Illa autem, venerea scilicet, partes citius erodunt affectas; in parte infima, materia obducuntur sebacea, margines habent callosas, nec tantum dolent.

Luem inter, et *Frambæsiam* distinguitur, si formam respiciamus, quam induunt ulcera; in hac enim, in fungos, mori fructum referentes, eorum eriguntur ima: Observandum præterea, quod, in illis partibus, morbo hoc affectis,

fectis, crines, pristino colore mutato, albi, ut in senectute evadunt.

His igitur, de diagnosi in Syphilide formanda præmissis, notandum solummodo refert, quod, vita ægri antea, judicium magno opere adjuvare potest; et si antea, ulcusculis præputii, glandisve penis, inguinum tumoribus, vel gonorrhœa eum laborasse compertum est, nil obstat, quin morbus, pro Lue confirmata habeatur.

RATIO SYMPTOMATUM.

Plurima symptomata, quæ Syphilidem comitantur, a viro venereo in massam assumpto, et sic per totum habitum meante, facile deduci queant. Virus enim, cordis et artierum actione, ad varia corporis excretoria propellitur; ibique retentum, inflammationem, sui generis, inducit. Hinc cum muco fauci-

C um,

um, nasi, &c. commistum, inflammationem, et ulcera in his producit partibus. Virus ad glandulas sebaceas delatum, pustulas, et cutis ulcera inducere potest. A fonte omnino simili, oritur Ophthalmia. Pari quoque modo, explicari possunt perioftii primo, deinde offium affectiones : Quare Tibiam, aut Cranium præ aliis tentat offibus venenum, explicatu difficile videtur : Nonne pendeat forsitan ex eo, quod hæc, frigoris actioni maxime subjecta sunt? Aurium dolor, &c. oriri potest, vel, a viro in earum penetralibus delato, vel, ex inflammatione, vicinis ab ulceribus, per iter a palato ad aurem, communicata. Quamvis enim, ab experimentis egregii MONRO constat, *tubas Eustachii*, in sono transmittendo vix adjuvare, tamen ad organum auditus, in statu sano servandum, eas, haud parum conferre, statuere licet. Scimus enim, quod in Cyananche tonsillari, aurium dolor, quin et suppuratio in iisdem aliquando supervenit; hoc a *tybarum Eustachii* affectione certissime oritur,

ut

ut recte monet in prælectionibus suis clarissimus GREGORY. Dolores, noctu præsertim exacerbati, ex eo forsan, provenire verisimile est, quod, circuitu calore lecti aucto, sanguis in partes affectas, vi majore propellitur. Cibi appetentia imminuta, digestio prostrata, et debilitas, a febre pendent; et hæc, denuo ab irritatione viri syphilitici, cui subjectum fuerit corpus, inducitur.

P R O G N O S I S.

Quamvis Syphilis, nunc perraro lethalis evadat, non desunt multa etiam, quæ eum curatu omnino difficilem reddunt: Solis enim naturæ viribus, quantum mihi audire quidem contigit, ad exitum faustum nunquam perducitur; et, nisi ad medicamenta quamprimum confugiatur, in pejus ruerent omnia, lentoque fato et miserando, infelix succumberet æger. Quo recentior labes, eo tutior. Si senes, aut debiles morbo corripiantur, si

antea

antea frequenter assumptus fuerit Mercurius, si Scrofula, vel Scorbuto laborent ægri, semper est quod dubitemus.

Curatu difficilior est Syphilis, in regionibus frigidis, quam in calidis. Periculofior est morbus, in gravidis, quam in aliis fœminis, quippe qui, abortum inducere valeat. Si Lue laborantes, alio quocunque morbo afficiantur, in quo, non sine gravi incommodo, vel etiam periculo, dari potest Mercurius; tum anceps omnino erit eventus. Accidit præterea, quod maxime dolendum est, nonnullos, talem corporis constitutionem habere, ut vel exigua hujus quantitas, qualis ad morbum fanandum haud sufficiat, iis salivam copiosissimam moveat: Contra, sunt qui magnam hujus medicamenti quantitatem assumere possunt, ore, pro tempore intacto, et morbo minime sublato; donec tandem ad os, subito ruat Hydrargyrus, et ibi maxime sæviat; quod facilius evenit, si ægri, temere semetip-
fos

fos frigori subjecerint : Plane ergo apparebit, in utroque casu, ægros, nunquam non periclitari. Si phthifici sint ægri, si diu duraverit morbus, si carie tententur ossa præcipue Cranii, et si medulla ossium corrupta sit ; in angusto spem esse, vix dubitandum.

MEDENDI RATIO.

Indicationes in hoc morbo curando, ad duo referri possunt capita ; nempe,

1mo, *Veneri corpus afficientis actionem debellare.*

2do, *Symptomata quæ maxime urgent tollere, vel lenire.*

Ad harum primam præstandam, in nostris saltem regionibus, nulla valent remedia præter Mercurium ; cujus apto usu, eventus optatus,

tatus, semper fere expectari potest. Sed, antequam de variis formis, quibus, hoc in morbo præscribi solet Hydrargyrus mentionem fecero; observationes quasdam, de actione ejus proferam, necesse videtur.

Variæ, apud Medicos, de modo, quo Mercurius in Lue sananda, suos prodit effectus, sententiæ fuerunt. Sunt, quibus persuasum est, eum, evacuatione sola prodesse: Alii vero, quorum auctoritas in re medica omnino gravis est, Mercurium Syphilidi antidotum esse arbitrantur; quod sic intelligi debet; Hydrargyrum nempe, viro venereo conjunctum, idem in corpore humano innocuum reddere. Dum ab aliis, ad vim quandam stimulantem referri solet ejus actio.

A primæ hypotheseos fautoribus afferitur, quod, quo major fuerit evacuatio, a Mercurio inducæ, eo felicior erit eventus. Huic autem doctrinæ repugnare videtur experientia

tia

tia quotidiana. Sat enim compertum est, Luem penitus sanatam fuisse, sine *ptyalismo*, vel ulla evacuatione profusa; quin etiam, apud Medicos constat, quamvis evacuatio insignis, multos dies duraverat, morbum minime sublatum esse. Inde sequitur, Mercurii actionem, vi qua pollet evacuante, morbum vix tollere. Qui, Hydrargyrum pro antidoto tenent, eum, ulceribus applicatum venereis, hæc sanasse, nec simul, vim ullam stimulantem, manifeste saltem, protulisse asserunt: Addunt præterea, medicamenta alia, quæ magis stimulant, talem minime induxisse effectum. His autem respondetur, quod, applicationibus stimulantibus cesserunt ulcera venerea; et hoc, ab experimentis celeberrimi SWEDIAUR plane apparet. Denique, si Mercurius pro antidoto habendus est, vel si, viro venereo commistus, idem iners innocuumve redderet; necessario sequeretur, quod Hydrargyri quantitas, cæteris paribus, pro ulcerum numero, major semper esse deberet: Hoc tamen
 minime

24 D E S Y P H I L I D E .

minime evenire, docet experientia. Noscimus enim, eandem Mercurii quantitatem, unum ulcus alterumve, sanantem, plura etiam, cæteris paribus, amovere. Mercurium in Lue venerea prodesse, sola stimulandi proprietate, ab aliquibus nuper editum fuit ; et revera, si ad varia phænomena, quæ, Hydrargyri usum sequuntur, animum attendamus, hanc opinionem, probabilem saltem, reddi apparebit.

Omnibus forsan satis cognitum est, Mercurium in massam assumptum, cordis arteriarumque actionem excitare : Pulsus fit frequentior ; nec raro inducitur febris. Huic autem opinioni adversatur, quod si Mercurius in Syphilide sanando hac sola proprietate agat, nil obstare videtur, cur minus medicamenta alia, iisdem prædita potestatibus, in corpus assumpta, eundem producerent effectum. Sed responderem, quod Hydrargyrus, utpote metallum, actione fluidorum animalium, parum subit mutationis ; et sic cum sanguine, ad va-

rias

riās morbi sedes, in quas agere debet, defer-
 tur. Stimuli vero, e regno vegetabili ante-
 quam systema introeant, succi gastrici, quin
 et liquorum intestinalium actione tantum im-
 mutantur, ut potestate, qua, antequam in-
 gesti sunt, gaudere videntur, ex toto forsan or-
 bentur. Notatu dignum est, illos, qui antea
 Mercurio sæpius utebantur, majorem remedii
 quantitatem postulare, ut effectus producat
 optatus, quam illi, qui Hydrargyri actioni, bis
 aut semel tantummodo subjecti fuerint. Si
 Mercurius, pro antidoto habendus sit, vel si vi
 evacuante agat, hoc phænomenon minime ex-
 plicari videtur: Sed Mercurium vi stimulan-
 ti, actionem veneream potius debellare, ex
 hoc, probabilius redditur; quod corpus huma-
 num, medicamentorum stimulantium actioni
 sæpe subjectum, ab iis ut antea, non afficitur.
 Sed hæc hæctenus.

Ut de variis formis, in quas, Mercurium re-
 medium nobile, torserunt Chemicis, hoc in loco,

D agatur,

agatur, minime neceſſe videtur. Sufficiat, eaſ ſolummodo reſpiciam, quæ maxime in uſu ſunt.

Inter varios modos, quibus in ſyſtema ingreditur Mercurius, nullus fere efficacior videtur eo, quo, per os in ventriculum excipitur; ſi hujus organi, et inteſtinorum irritabilitas haud obſtiterit. Sæpe enim tanta eſt hæc, ut remedium, nullo in morbum prolato effectu, e corpore per anum eliminetur. Ad hoc autem præcavendum, Opium ſimul cum Hydrargyro datum, plurimum valet. Cum vero nonnunquam accidit, nonnullos, Opii quantitate admodum exigua valde affici, tunc, Mercurii introductio per frictionem, in parte interna crurum, femorum, vel ad imum abdominis, ut in prælectionibus ſuis monet egregius MONRO, certiffime ſuadenda eſt. Mercurii per frictionem introductio, cæteris modis præſtat; ſi in inguinibus formentur bubones: Sic enim, non raro, repelluntur tumores, priuſquam

usquam suppuratio, absorptio, hujus sequela, supervenerit; vel labe universa affectum fuerit systema. In hunc finem Unguentum mercuriale Pharmacopœiæ Edinensis, votis optime respondet; hocque ad ʒss. mane et vespere præscribatur; quantitate, secundum symptomata, aucta, vel minuta. Alia adhuc, Mercurii introducendi nuper proposita fuit ratio; nempe, per Calomelanos frictionem, ad malam internam: Modus autem hicce, sua habet incommoda; directa enim ejus in glandulas actione, salivæ statim abnormis evocatur effluxus; et os male afficitur; nulla vel admodum parca remedii quantitate, qualis ad labem vincendam minime valeret, in systema recepta. Ex his ergo, talem modum, vix, ac ne vix quidem, tantis pollere effectibus, quam suadent nonnulli, plane apparet.

Si nihil obstare videtur, quo minus per os introducatur Mercurius; celeberrimi PLENCK Solutio, Pilulæ, &c. cum beneficio præscribantur.

bantur. Mercurius cinereus, ad gr. ij vel iij forma boli assumptus, ab illustrissimo HOMÆ sæpe feliciter præcipiebatur. Inter mitiora tamen ex Hydrargyro præparata, Pilulæ mercuriales Pharmacopœiæ Edinensis, locum obtinent primarium: Ex his duæ vel tres in die sumantur, quæ, numero augeantur, vel pro re nata minuantur.

Quoniam vero in diversis, vel etiam in eodem homine, varios effectus, variis temporibus, prodat Mercurius; pro ægri habitu, quantitas ejus varia esse debet; neque certa aliqua dosis definiri potest.

In Lue confirmata, quando in Mercurii usu diu persistendum est, quantum hæc, fortioribus remedii præparatis præcellunt, nemo non videre potest. Fortiora enim, subitum in corpus et violentem edunt effectum, nec in eo, tam facile retineri possunt; ideoque, nisi symptomatibus quibusdam urgentibus, vix admini-

strari

strari debent. Ubi eorum admittendus est usus, solutio Mercurii sublimati corrosivi, ut ab illustrissimo VAN SWIETEN præscripta, cæteris forsan præstabit.

Cum vero, quantum Mercurii, ad Syphildem penitus sanandum sufficiat, nemo rite dicere queat; remedii usum, ad septimanam unam, vel alteram, postquam symptomata cessaverint venerea, protrahi, necessarium prorsus, omnique modo suadendum videtur.

Huc usque, de Mercurii usu interno, solummodo tractatum est. Quod ab applicatione ejus externa, multa etiam oriuntur commoda, notatu quoque dignum: Ulcerum sanationi apprime favet, eamque valde promovet Hydrargyrus, hoc modo adhibitus. In hunc finem præscribi solet Unguentum mercuriale, Mercurius præcipitatus ruber vel in ulcus sparsus, vel unguenti forma impositus; et Mercurius sublimatus corrosivus, cujus gr. iij
in

30 DE SYPHILIDE.

in aq. font. ℥iv. soluta, ulceribusque venereis applicata, optimos edunt effectus. Ad ulcuscula venerea primaria sananda, nisi insignis vetet partium inflammatio, maxime valet Cauticum lunare; quocum, ulcusculum semel in dies tangatur, ad tertiam, aut quartam circiter vicem.

Dum Mercurii actioni subjicitur corpus, regimen, quo utitur æger, respiciendum est; quodque, pro re nata dirigi debet. Olim mos fuit, ægrum remedio subjectum, in cubiculo calido includere; hoc tamen, non nimis præcipiendum, sed ne aëris humido-frigidi actioni objectetur æger, quam maxime cavendum: Laneam induat subuculam, plurimum quoque valebit. Sub cælo sereno, si laborantis haud vetuerit debilitas, exercitatio modica, multum etiam prodest.

Quod ad diætam, consuetudinis ratio est habenda. Cibi stimulantés, et condimenta
sedulo

sedulo plerumque evitanda : Farinacea et lac pro diæta maxime conducunt. Sin ægri multum convellantur vires, modico utatur vino, victuque magis nutriente ; quem, optimum præbent juscula, et animalium juniorum carnes ; quæ, concoctu faciles, nutrimentum suppeditant, nec ventriculum plus justo onerant. Si morbus pertinax violentusque, remediis haud cefferit usitatis, cœli suadenda est mutatio.

In Lue sananda, præter Mercurium, multis valde laudantur vegetabilia quædam ; ut Sarsaparilla, Guaiacum, his addas quoque Lobeliam sypiliticam, et Daphnem mezereon ; quorum usu, morbum penitus etiam, sanatum fuisse, nonnullis afferitur ; ea autem, in nostris saltem regionibus, talem pro certo edere effectum, minime constat. Hæc, vegetabilia nempe, superficiem versus sanguinem derivando agere videntur ; hinc cum Mercurio simul data, Guaiacum præcipue, prodesse forsan poterunt ;

terunt; cutem enim relaxando, Mercurio per poros exitum præbent; ficque ne in glandulas salivales, aut intestina versus, tantum dirigatur ejus actio, præcavetur.

Annis nuperis, multum in Lue, celebratum fuit Opium; et quædam proferuntur exempla, in quibus eum radicitus, morbum amovisse asseritur; de hoc autem, longe abest, ut aliquid pro certo statuatur. In Nosocomiis enim, plerumque præscriptum fuit hocce remedium, in quibus, ægrorum fabulis sæpe falluntur Medici; a militibus præsertim, qui, Mercurii effectus haud ignari, frequenter eo utuntur, priusquam, ad Nosocomium, auxilium quærentes, confugiunt. Præterea in Syphili-
de, a viris fide dignis, exhibitum fuit Opium, morbo minime sublato. His ergo perpensis, nemo sanus, medicamentum suadebit ambiguum, alterum possidens, Mercurium nempe, cujus usu tempestivo, nunquam non amoveri potest morbus. In certis levandis symptomatibus

tibus, Opium una cum Hydrargyro datum, plurimum valere potest ; sed donec de ejus in Syphilide sanando efficacia, certiores nos fecerit experientia, ei, ut medicamento, quo solo, morbus ex toto vinci possit, non fidendum.

Ad consilium alterum nunc perventum est. Dum maxime datur Hydrargyrus, oriuntur sæpe symptomata quædam, ægro molestissima, neque sane omni periculo yacua. Ut hæc vel prorsus amoveantur, vel saltem leventur, totis niti viribus, sine dubio debet Medicus.

Inter Mercurium sumendum, non raro, accidit Diarrhœa ; ad quam compescendam, plerumque sat erit, ut modus, quo applicatur remedium, mutetur ; si, per hoc minus removeatur, ad Opium confugiendum est ; cujus usu, fere semper felix expectari potest eventus.

E

Accidit

Accidit nonnunquam, quod a Mercurio astringatur alvus ; huic autem, laxantium operitiorum, qualia sunt Electuar. lenit. ol. Ricin. &c. facile obviam itur.

Inter varia symptomata, quæ inducit Mercurii usus, *ptyalismo*, frequentius molestiusve, vix forsan, occurrit aliud : Varia medicamenta, a variis prolata fuerunt Autoribus, ut, hic salivæ effluxus minuatur abnormis ; inter quæ prima extant Cathartica, et Vesicatoria. A nonnullis, valde laudatur Sulphur ; quod, ab eo, Mercurium inertem in corpore innocuumque reddi, existimatum fuit. Res autem minime se ita habet, et quodcunque boni a Sulphuris exhibitione oriatur, omnino a vi ejus purgante pendere videtur. Hæc remedia, non semper valere, observatu dignum ; nonnunquam etiam, Vesicatoria præsertim, frustra applicari, sat docet experientia ; horum quidem, omnino forsitan, omitti potest usus, quippe quæ,
dum

dum valde cruciant, effectus admodum incertos edunt.

Cum effluxum humorum ad glandulas salivales tollendo, eumque, intestina versus determinando, Cathartica suos produunt effectus; nonne Sudorifica, quorum ad superficiem multo majorem dirigitur actio, in hoc symptomate levando, longe validiora forent; nisi, eorum usus vetet ægri debilitas? Quandocunque tam urgens occurrat *ptyalismus*, Mercurius sine dubio, vel omnino pro tempore omitti, vel saltem ejus dosis minui debet.

In iis, qui Mercurium sumunt, linguæ et faucibus, sæpissime superveniunt ulcera; quæ acerrimus comitatur dolor, tunc, ad gargarifmata emollientia recurrendum; quibus, hæc leventur symptomata, quæ, tempori potius, quam Medico cedunt.

Maxime revera dolendum est, nullam Mercurii præparationem, huc usque nobis cognitam

tam esse, cujus usum, unum alterumve horum symptomatum non sequatur; et ut verbis a clarissimo Professore GREGORY nitide depictis utar. “ Omne quidem hac de re tulerit
 “ punctum, qui talem argenti vivi præpara-
 “ tionem invenerit, qualis et Luem veneream
 “ penitus eradicet, et simul neque salivam
 “ moveat, neque os, neque ventriculum, ne-
 “ que intestina lædat. Interea vero ea præ-
 “ paratio eaque administratio remedii optimæ
 “ habendæ sunt, quæ dum morbum tollunt,
 “ illis partibus minime noceant.”

Morbo venereo sublato, sæpissime tamen restant symptomata, ægro, quæ maximæ sunt molestiæ; dolores nempe, in variis corporis partibus, debilitasque insignis. Hæc, a Mercurio jam dato, pendere videntur; ad quæ removenda, Rusticatio, vel sæpe etiam migratio in Cælum mitius, Frictio, Exercitatio sub Jove modica, Equitatio præsertim, et Corticis Peruviani usus apprime valent, Diætam nutri-
 entem,